

IN NOMINE JESU!
EXERCITATIONUM POLITICARUM
DISPUTATIO III.

De

SOCIETATE HE-

RILI ET PATERNA,

Quam

P R A E S E S

M. JOHANNES Deutschmar/
Jutrebocensis,

ET RESPONDENS

ET RESPONDENS

EBERHARDUS Müller/
Revaliensis è Livonia

proponens publicè

Pridie Paschatos.

In Auditorio veteris Collegii.

Τὰ δευτέρη

†



WITTENBERGÆ

PLUMBO JOHANNIS HAKEN

M. DC. LIII,

†

a. XXVI. 6.

Coll. diss. A
26, 6

SOCCIALE ATTEL

WILHELM TATIANA

Quam

1888

M. G. HANSEN'S

Journal

REPERENS



ERSTE HILFE

Rechtliche

Verordnungen

der Provinz

in Sachsen

1888

WILHELM TATIANA

WITTENBERG

VERLAG VON JOHANNES HAKEN

M. G. HANSEN

Duo sunt, quæ omnem ornant familiam, omnemque exornant Rēpubl. nīm. *Rerum abundantia* & *personarū præstantia*. *Illā* n. ut ad finem Politicæ internum est necessaria, ut commode in civitate vivere possimus; ita *hæc* ad finem Politicæ externum ab omnibus est requisita, ut bene in civitate vivere queamus: *illā* dicitur alio nomine *Sufficientia*, *hæc* mutato nomine appellatur *Εὐδαιμονία*: *illā* necessaria, *hæc* honoraria tradit: *illā* utilitatem, *hæc* honestatem respicit. Interest tamen Reipub. ut utraque suam in civitate habeat sedem, quia utrâq; præsentē Reipublice multum capit incrementi, utrâq; vel alterutrâ saltem, absente, multum eadem percipit detrimenti. Ex his siquidem fontibus mirâ fecunditate ad Rēpubl. omnis promanat excellentia, omnis dimanat gloria. Hæ sunt alæ duæ portarum munitissimarum, quibus omne Reipub. bonum concluditur ab externis, conservatur ab internis hostibus. Tanta igitur cum utriusq; sit dignitas & utilitas, nostrum est altius in earum originem inquirere: & si rem rectius pensitamus, non obscuris indiciis deprehendimus, *Rerum abundantiam* ex *Herili*, *Personarum εὐδαιμονίαν* ex *Paterna societate* suum trahere principium. Servi enim ubi sunt fideles & diligentes, ibi rerum comparatur abundantia & sufficientia: Parentes vero ubi sunt fideles, & in educandis liberis, eorumq; moribus formandis diligentes, ibi civium expectatur *εὐδαιμονία*, & ipsius Reipub. florentissima gloria. Hæc cum veritati sint consona, & ab ipsa experientia probata, nostrum erit de utriusq; Societatis natura & conditione hic certa quædam capita allegare, ne nostras Politicas exercitationes hæc in parte videamur mutitare. Sit ergo *Sub Deo cum Deo* Thesis.

I. Primam ex societatibus simplicibus, quam nuncupant *Nuptialem*, explicatam dedimus, ad *secundam*, quam *Herilem* salutant, sermonem laboremq; nostrum convertimus. Et ne ordinis errorem hic videamur commisisse, placet ordinem nostrum certis positis argumentis confirmare. *Schonborn. quidem l. Pol. c. 9. cū Kecherm. Curs. Philos. disp. 28. Bodin. l. 1. de Rep. c. 5. n. 3. Timpler. l. 1. Oecor. c. 4. q. 24. Connanus l. 1. Comment. c. 4. n. 6. D. Christ. Matth. l. 1.*

Pol. Exerc. 2. aliique, Paternam societatem loco secundo ponunt & exponunt: sed nos salva horum virorum autoritate ab hujus ordinis instituto recedimus, & Herilem societatem secundo ordine proponimus.

2. Rationes nostræ ut pateant, sequentes allegamus. (1) *à necessitate*: Quicquid est magis necessarium illud est prius eo, quod minus est necessarium: Atqui Herilis societas magis est necessaria, quam Paterna: Ergo etiam Herilis erit prior. *Major probatur, quia magis necessaria præcedunt, minus necessaria sequuntur; quia magis necessaria propius accedunt ad rei essentiam, quam minus necessaria; quia magis necessaria etiam magis requiruntur ad rem ipsam, quam minus necessaria; deniq; quia omne efficiens etiam, quod rectè & directè operatur, prius ponit magis necessaria, ne in his ullus appareat defectus, postea verò minus necessariorum suscipit curam: Minor* itidem est manifesta, *quia servus est instrumentum necessarium, sine quo nulla potest consistere familia; Liberi verò neq; sunt necessaria familiæ instrumenta, neq; sunt in se causæ principales familiæ: Deinde quia servi pertinent ad familiæ constitutionem; liberi tantum ad rerum familiarum durationem, dum mortuis parentibus, liberi hæreditatis jure familiam obtinent. Conclusio igitur erit firma. Unde porro ita argumentamur: Quicquid prius est, illud prius etiam est proponendū & cognoscendū: Atq; Herilis societas est prior Paterna: Ergo etiam prius est proponenda & cognoscenda. Minor ex dictis patet. Major probatur ex communi axioma: Sicut se habet Jò eivas, ita etiam se habet Jò eivèas: ut igitur res sunt, ita etiam sunt cognoscendæ, & quia ita cognoscendæ, ita etiam sunt proponendæ, cum cognitio ex doctrina suam habeat originem.*

3. (2) *à societatis Herilis conditione*. Hæc enim est natura societatis Herilis, ut ipsam familiam constituat, sitq; ejus pars essentialis: societas vero Paterna respicit tantum effectum, quia sine hac familia potest esse perfecta, utpote ad quam constituendam tres personæ sufficiunt. Tria igitur hic possunt urgeri argumenta: Omne constituens prius est non constituyente: Atqui societas herilis est constituens, Paterna vero non constituyente: Ergo Herilis prior erit paterna. *Deinde: Omnis causa prior est effectui: Atque*

socie-

Societas Herilis habet se ut causa, Paterna ut effectus: Ergo etiam Herilis prior erit Paterna. Tandem, Omnis pars, pertinens ad essentiam, primo loco est proponenda; quia ignoratis essentialibus difficulter, vel etiam frustra reliqua cognoscuntur: Atqui Societas Herilis est pars familiae, & pertinet ad ejus essentiam: Ergo etiam primo loco est proponenda.

4. (3) à Societatis Herilis fine. Hic est *conservatio Familiae*. Nam, ut notant Politici, duplex est finis ejus, qui instituit familiam ex naturæ dictamine, unus *sobolis procreatio*, alter *sobolis conservatio*. Hos fines ut possit obtinere, duobus indiget instrumentis, *uxore* nim. ad procreationem, *servo* ad sustentationem. Ex his facile colligimus, quod servi & liberi se habeant ut conservantes & conservati. Servi enim liberos conservant, liberi à servis conservantur. Omne autem conservans prius conservato; omne agens prius patiente: Ergo videmus quod commodius prius de herili, quàm de paterna agamus societate. Videntur tamen illi, qui prius de paterna egerunt societate, non tam ordinem, quam naturalem originem & actissimam societatis Nuptialis & Paternæ conjunctionem, vel etiam ordinem doctrinæ quodammodo respexisse, ne longius abesset doctrina de liberis, quorum sæpius in societate conjugali facta erat mentio.

5. Hæc conjunctim de ordine fuere allegata, jam ad specialem pergimus explicationem: & primò omnium Herilis societatis definitionem recitamus. Definatur autem his verbis: *Herilis societas est societas inter Dominum & servum, ob conservationē, à natura facta.*

6. Quod definitum concernit, dicitur *societas Herilis*, à potiori nim. parte, qui est *Herus*, quia à potiori fit denominatio. Alias vocatur *Dominica societas*, quæ tamen ab Herili videtur differre, ut latius & angustius. Nam *Dominicum imperium* dicitur omnibus convenire, qui sunt in domo, & hoc extenderetur ad uxorem, servos & liberos: *Herile* vero solis competit servis. Quamvis *Timpler.* suo modo eam invertat l. 2. *Oecor. c. 1. q. 8.* quod *Dominica tantum fit in personas servituti addictas, herilis etiam in liberas*. Sumitur vero hic terminus vel κατ' ἐξοχήν & specialiter, pro conjunctione inter herum & servum in individuo; vel παχυλῶς & generaliter, pro Dominio inter herum sive heram, & servum sive ancillam.

7. *Definitio ipsa constat Genere & Differentia.* De *Genere* dicitur, quod sit *societas*. Ubi notandum est, quod non intelligatur *societas composita*, qualis datur in familia, pago & civitate: sed vel *societas generica*, quæ ad omnem societatem se habet indifferenter, neque per certam adjectionem ad certum societatis gradum restringitur: vel *societas simplex*, quarum qualibet duabus absolvitur personis. Nam perfectè societatem herilem duæ personæ possunt constituere.

8. Quod autem *Societas* sit *genus*, illud patet (1) *ex societatis hujus veritate*. Dici enim requirit inesse, dicitur autem *Herilis societas*. *Veram etiam* esse societatem in heri & servi conjunctione probat *ratio*, quia consociantur; probat *experientia*, quia videmus eos esse conjunctos ad certa officia, & opera perficienda; probat *authoritas*, quia omnes hoc ipsum *Politici* concedunt. (2) *ex societatis hujus proprietate*: quia propriè sic dicta est societas: Est hic societatis *materia*, nimirum certæ personæ, quæ certo vinculo, certâ obligatione sunt conjungendæ, quales sunt *Herus & servus*; Est hic societatis *forma*, quæ consistit in ipsa mutua conjunctione & consociatione, ita ut *Herus* jungatur *servo*, & *servus* jungatur *Hero*. Ubicunque autem est forma & materia societatis, ibi etiam propriè sic dicta societas: Atqui in *Herili* societate est materia & forma societatis, ut probatum: Ergo etiam propriè sic dicta est societas. (3) *Ex societatis communitate*. Nam societas dicit communem quandam naturam, quæ quidem est in omnibus specialibus societatibus, sed totâ ipsarum naturâ nō exhaurit, Unde ita colligimus: Quicquid essentialiter, quoad ipsâ suâ naturâ, est in societate *Herili*, nec tamen totam ejus essentiam exhaurit, sed ut communis essentia per differentiam quandam limitatur, illud est *genus*: Atqui de societate verū est prius: Ergo & posterius. *Major* est certa: *Minor* ex definitione, quoad singula membra, patet. (4) *ex communi axioma*: *Genus est, quod de pluribus specie diversis in quid prædicatur*: Societas dicitur (1) de pluribus nim. de *Societate Nuptiali, Herili, Paterna, Domo &c.* (2) de *Specie diversis*; quia in qualibet societate aliæ atque aliæ sunt personæ, alio etiam atque alio modo copulantur. Illæ materiale, hic vero formale representat. Ubi autem est materia diversa, & formale diversum, ibi specifica est differentia. (3) *In quid prædicatur*, quia de omnibus in casu recto, & qui-

& quidem substantivè usurpatur. (5) *ex societatis distributione*. Simplex enim distribuitur in nuptialem, herilem & Paternam; sicut igitur reliquæ societates de societatis naturâ verè & propriè participant, ita idem de hac societate Herili & dicimus, & ex æquali hac distributione colligimus. (6) *ex regula Philosophorum*. Dicunt enim in Accidentis alicujus definitione non materiam sed formâ loco generis esse ponendam: Societas autem est de formali ratione hujus societatis Herilis: ergo etiam erit genus.

9. *Differentia* desumpta est (1) à materia. Nam dicitur societas *inter Dominum & servum*. Ut igitur hanc intelligamus materiam, duæ potissimum personæ sunt considerandæ nimirum. (1) *Persona Domini* (2) *Persona servi*.

10. De *Domino* notamus (1) *uscens*, & dicitur vel à *domo*, voce nominaliter sumpta, notatque Patremfamilias, qui domui bene præest, & imperium in totam exercet familiam. Nam familia & domus hic ferè sunt Synonyma. Vel à *domo*, voce verbaliter sumpta, quia is vere est Dominus, qui potest domare omnes, qui sunt in familia. Vel à *Dominando*, utpote qui dominium in alios habet. Hinc alias dicitur *κύριος*, *δεσπότης* &c. Deinde *Vox Domini* est analogum & tribuitur *primario* atque *καὶ ἐξ ἑοχῆν* Viro s. Patrifamilias, quia hic est caput totius familiæ, interim tamen *secundario* non excluditur Domina, quia etiam illa Domini cujusdam est particeps.

11. (2) *Definitione*. Est autem Dominus *persona domestica, idonea ad imperandum servo*. Dicitur *Persona*, quia est substantia per se ultimato subsistens, & quidè ratione prædita: non quidè h. l. ponitur in esse absoluto, sed in esse respectivo, quatenus scilicet ad domum refertur, & in hac relatione consideratur, & caput totius familiæ constituitur. Nam persona in esse suo absoluto & substantiali quando consideratur, ad substantiam etiam meritò refertur. Sed quatenus cum respectu accidentali, & in esse relativo accipitur, ita etiam h. l. generis sedem occupare videtur. Unde non absolutè posita est vox personæ, sed cum limitatione, quod sit *persona domestica, quia domesticæ conversationis est autor, dum nemo alius eam instituit, præter Dominum; quia domesticæ conversationis est conservator, ab ea siquidem persona tota dependet domus in conservari, à*

qua

qua omnia membra sustentantur; quia domesticæ conversationis est caput, à quo omnia membra diriguntur & gubernantur.

12. *Differentia* continet partim *Domini propriam*, quod *idoneus sit ad imperandum*. *Idoneitas* illa est tum *natura*, tum *scientia*, tum *exercitii*. *Nature idoneitas* requiritur i. e. naturalis sapientia & ingenii solertia, ut sit à natura quasi ad dominandū factus, ut docet *Arist. l. 1. Polit. c. 4*. Nam ibi monet, quod naturæ, idoneitas prærequiratur ideò, quia Dominos & servos, & liberos non tam ex scientia spectare debem9, quam ex eo, quod sint tales, id est, Dominum & servum non dici, quia hic servire, ille sciat dominari, sed quia tales sint naturâ, & quidem alter naturâ ad dominandum sit factus, alter naturâ ad serviendum. *Scientia idoneitas* etiam, quæ *Artis* aliàs dicitur, est necessaria, quæ secundum *Arist. d. l. nihil aliud est, quam ratio utendi servis*, Quemadmodum n. ars domestica sive *Oeconomica* nihil aliud est, quam ratio utendi domo sive domus partibus, quæ sunt uxor, Liberi & servi, & bona sive res familiares, ita servis utendi ratio est ars herilis. *Idoneitas* demū *Exercitii* ut accedat, illud etiam videtur in hero necessariū. Ut enim eria in omni habitu sunt necessaria, nim. *Φύσις* seu natura, *μὲθης* seu disciplina, & *ἀσκησις* seu exercitatio; ita etiam h. l. exercitiū non est negligendum, quia ars seu scientia Herilis ad habitus naturam proxime videtur accedere. Illud autem *Exercitiū* melius haut acquiritur, quam per experientiam & diuturnam assuefactionem. Illa *partim* ex historiis, *partim* ex exemplis vivis suppeditat rationem, quomodo servis uti debeamus, ne vel in excessu, vel in defectu peccemus. Diuturna denique assuefactio multam etiam hic præstat operam; ut enim usus in omnibus rebus facit artifices, ita etiam hic usus imperandi servis artificiosissimos efficit Dominos.

13. Partim *Domini actum*, qui est *imperandi*. Actus enim hic est proprius domino, ita quidem, ut hinc habeat tum *appellationem*, quia Dominus à quibusdam ex Dominandi dicitur vocabulo: tum *formalē rationē*, quia Dominus sine imperio esse nequit. Est n. Domin9, sine imperio, plane Non Dominus, & nudū sine re nomē: Cū v. nomina rebus debeant convenire, hinc Dominus etiam Dominium habere debet. Tum *autoritatem*: hæc enim cum apprimè sit necessaria, nullam tamen habebit, nisi sit autoritate munitus.

14. Par-

14. Partim *Domini objectum*, circa quod ipse suo imperio versatur, & dicitur Servus. Necessum enim est, ut in imperio sit servus, quia sine observatione imperium est frustraneum, imo penitus nullum est imperium. Jam autem Dominus, quatenus est Dominus, non potest sibi ipsi imperare: ex quo colligere licet servum omnino imperii esse objectum. Deinde cum Dominus sit relatum, & tota ejus natura consistat in eo, ut referatur ad aliud, iterum inde colligimus, quod Dominus non sui ipsius debeat esse Dominus, sed alio debeat referri, nim. ad suum correlatum, quod est, servus. Huic enim præscribit Dominus quid sit faciendum, quid omittendum; quid hoc tempore, quid itidem alio sit suscipiendum.

15. (3) *Divisionem*. secundum hanc Dominus alius est *naturalis*, alius *legalis*. Ille est, qui ingenii præditus est solertia, ita quidem ut mente sibi prospicere possit, quod alter corpore debet facere i. Polit. c. 2. *Legalis vero Dominus*, qui bello *Dominium sibi acquirit*, aut *precio*, aut *alio modo hominõ facit suum*. Differunt (1) *ratione originis*, quia naturalis est, à natura & nativitate; legalis verò ab acquisitione & potestate. (2) *ratione scientia berilis*; Hæc enim semper est in naturali Domino, in legali verò sæpius deficit. (3) *ratione ordinis*: quia in naturali dominio ordo naturæ observatur, dum superior inferiori, nobilior ignobiliori imperat, & quidem ei prospicit, qui naturâ ineptus est, ad res suas gerendas, adeoque hic finis est communis omnibus hominibus; ut salva sit societas humana, & quod uni deest, ab altero suppleatur; in legali verò servitute ibi sæpius ordo huic contrarius observatur, ita quidem, ut sæpius ignobilior nobiliori, stultus sapienti imperet, adeoque hic finis saltem particularis esse videtur, dum particulariter libidinem dominandi potissimum respicit.

16. (4) *Officia*, quæ respiciunt partim *res*, partim *personas*. Ratione rerum Domini officium consistit (1) *in commoda habitationis acquisitione*, quia οἶκος ἰδὲ οἶκος ἀπὸ (2) *in rei familiaris multiplicatione*, quocunque modo id ipsum fiat, si tamen sit honestus, & ab omni vitio alienus. Deinde personæ conveniens & accommodatus. Non enim omnia omnibus conveniunt. (3) *in rei familiaris possessione*, Ut res suas non tantum justè acquirat, sed etiam

B

justis

justis rationibus possideat. Injustus enim possessor non minus peccat contra honestatis & æquitatis regulas, quam injustus raptor. (4) *in rei familiaris usurpatione.* Non enim aurum arce includat, aut alias res acquisite avarè retineat, sed & sibi & suis domesticis benefaciat. Quandoquidem, qui domesticis suis non prospicit, infideli est deterior, & Avarus nihil minus habet, quam quod habet. [5] *in rei familiaris conservatione.* Licet enim & suis, & aliis debeat benefacere, tamen ipse solus bonorum suorum sit Dominus.

17. *Officia respectu servorum consistunt [1] in humana servorum tractatione.* Cum enim servorum animi plerumque à Dominis sint alieni, & rarum sit ferculum servus fidelis, magis magisque abalienantur, si ad hanc servorum consuetudinem, accedat summa Domini severitas atque inhumanitas. Deinde est servorum Dominus, non Tyrannus: dominium igitur non tyrannidem debet exercere. *Præterea servus est Domini possessio.* At Dominus vel ductu naturæ in suam possessionem non sæviet. *Ad hæc servus est quædam heri utilitas, quia ejus conservat familiam, quia ejus facit voluntatem, & quia sæpius etiam ipsius heri est defensor. Denique quia est heri instrumentum.* Sicut igitur omnis artifex prudenter regit suum instrumentum, ut diu & commodè eo possit uti, non autem violenter ne frangatur, aut corrumpatur: ita etiam Dominus hoc suo instrumento, nim. servo, debet hoc modo uti, nim. prudenter, non violenter, ne ob servi vel corruptionem, vel fractionem multum familia capiat detrimenti. Ut enim fidelis magistratus eò omnes suas intendit vires, ne Respubl. aliquid capiat detrimento: ita etiam fidelis Paterfamilias eò suas conjiciat curas, ne familia aliquid sumat detrimento. Hinc *Seneca eleganter Epist. 47.* hanc in finem scribit: *Servi sunt? imo homines. Servi sunt? imo contubernales. Servi sunt? imo humiles amici. Servi sunt? imo conservi, si cogitaveris tantundem in utrosque licere fortuna. Quoties in mentem venit, quantum tibi in servum liceat, veniat in mentem tantundem in te Domino tuo licere.* (2.) *in negotiorum ordinatione.* (3.) *in prudenti inspectione.* (4.) *in necessariorum vitæ subministratione.* (5.) *in debita castigatione.* &c.

18. Hactenus *de Domino* quædam posuimus, alteram etiam materia nostræ partem adsumimus. In *seruo* itidem certa eligimus & exponimus capita, ne nostra tractatio videatur vel confusa, vel tumultuaria. Notamus (1) *Nomen*. Dicitur *Servus* ab aliis à *servando*, quod olim illi, qui jure belli poterant occidi, à servatoribus servarentur, ut tales fierent servi. Ab aliis à *serviando* derivatur quia Domino suo, totique familiæ inservit. Sumitur autem hæc vox vel *generaliter*, & ita non tantum servos, sed etiam omnes includit ancillas, quæ pariter varia suscipiunt & expediunt servitia: vel *specialiter* scilicet κατ' ἐξοχην pro seruo individuo, qui ad familiam constituendam, & ad societatem herilem absolvendam penitus videtur esse necessarius.

19. (II) *Definitionem*. Est autem *servus instrumentum Domini sui animatum, separatum activum, rationis particeps non sui sed alterius existens*. Dicitur (1) *instrumentum*, quia h. l. servus non ἀπλῶς consideratur, quatenus Domino subordinatur: non consideratur physicè, sed politice: *Deinde* quia servus non propter se servitia expedit, sed propter alium, nim. propter Dominum. Est enim instrumentum in totum alterius gratia. *Denique* quia non ex primaria intentione operatur, sed ex intentione & voluntate sui superioris Domini, ex cujus nutu vivere & laborare cogitur; imo ipse Dominus tanquam causa principalis seruo, tanquam causa instrumentali, in omnibus suis negotiis & expeditionibus utitur, adeoque revera servus est instrumentum. Dicitur (2) *instrumentum animatum* ut distinguatur ab instrumentis inanimatis. (3) *separatum*, ne intelligantur instrumenta corporea, quæ homini sunt conjuncta, ut manus est instrumentum apprehensionis, pes ambulationis &c. (4) *Activum*, quo discrimine separatur, vel ab opificibus, quorum ministerio in operibus efficiendis solemus uti; vel ab inanimatis. Hæc enim propriè non agunt, sed per hæc tantum agitur, sicut malleus non agit, sed faber per malleum. Et licet Dominus etiam agat per servum, tamen non tantum Dominus agit in effectis producendis, sed etiam servus verè suas actiones instituit. (5) *rationis particeps*. Servus enim verè est rationalis. (6) *Non sui* sc. juris, vel potestatis vel voluntatis. Si enim hæc esset voluntatis & potestatis homo, non esset servus. Hinc

(7) dicitur alterius existere, nim. ipsius Domini, sub cuius est manu, cuius audit imperia, & cuius exequitur negotia.

20 (III) *Originem*. Varia enim ut est servorum conditio, ita varia eorum origo. Oriuntur autem servi (1) à natura. Sæpius enim natura tales producit homines, qui tantæ sunt stupiditatis, ut sibi ipsis de necessariis prospicere non possint; tantæ sunt infirmitatis, ut se ipsos defendere ab aliorum injuria non valeant; tantæ sint stoliditatis, ut seipsum, suamq; vitam regere nequeant, sed omnino aliorum indigeant tum providentia ad sustentationem, tum auxilio ad defensionem, tum consilio ad directionem (2) *ex captivitate*, quando illi, qui ab hostibus capiuntur, fiunt servi, dicunturque mancipia, quasi mancipia, quod manibus capiantur secundum *Festum Pompejum*. (3) *ex venundatione*, quando quis dolo malo ad precium participandum se venundari patitur, *vel* etiam summa paupertate pressus seipsum vendere cogitur, *vel* à parentibus plagio abductus aliis venditur, *vel* in bello captus à servatore suo aliis certo precio offertur &c. (4) *ex nativitate*, qui scil. ex parentibus servis seu ex mancipiis nascuntur. (5) *damnatione ad Metalla*, quales erant isti, qui durissimos in fodinis metallicis propter admilla flagitia & enormes culpas cogebantur labores exantlare. Unde servi pœnæ appellabantur. [6] *conductione*, qui ad certum tempus, certo sumpto precio, certo Domino suam addicunt operam. (7) *ex necessitate*, ut quando creditor debitoris aufert liberos, eo in casu, si non habeat, unde solvat debitum. Sic vidua apud *Joseph. l. 9. Antiq. Judaic. cap. 3.* ita Elisæum affatur: *Servus tuus vir meus mortuus est, & tu nosti, quia servus tuus fuit timens Dominum: & ecce creditor venit, ut tollat duos filios meos ad serviendum ei vid. Jul. Cas. l. 6. de bell. Gall.*

21. (IV) *Divisionem*. Sic servus alius est *naturalis*, alius *legalis*. *Naturalis* describitur *lib. 1. Polit. c. 6.* his verbis: *Servus naturalis est organon animatum, rationis particeps, activum, separatum, secundum naturam non sui ipsius, sed in totum alterius. Legalis vero est, qui vel in bello capitur, vel propter certas causas alterius potestati est subiectus, ad cuius arbitrium vivere cogitur.* Sed de hac divisione non possumus hic plura addere, nec servorum requisita, officia & adjuncta

juncta

juncta justè explicare. sed reliqua definitionis membra etiam debemus aliquo modo enucleare.

22. II. *Differentia* etiam complectitur *finem*. *Finis herilis societatis est conservatio*; Conservatio autem hæc se extendit (1) *ad societatem nuptialem*, ut nim. Maritus & uxor habeant, ex quo vivere possint, propter ea constituta est societas herilis. Herus enim nec potest, nec vult, nec debet, omnia servilia, ad sustentationem necessaria, negotia tractare. *Non potest, quia* ipsi alia conveniunt negotia, quibus si velit suam addicere operam, non potest servilia facere: *quia* etiam curam gerit totius familiæ omniumq; rerum-familias, idcirco non potest servitiis vacare. *Non vult*, quia propterea suum habet servum, ut operas serviles perficiat, quo facile carere posset, si ipsemet Dominus omnia vellet servitia tractare. *Nec debet, quia* ab autoritate Domini talia sunt aliena; *quia* ipse est imperans: Imperans autem non potest esse serviens. Heræ etiam seu Conjugi talia minimè servilia competunt, quia illa liberorum generationi & educationi vacare debet, & una cum Domino imperare, neutiquam verò omnia servorum officia sustinere potest. (2) *ad societatem paternam*. Quia enim liberi sunt familiæ effectus, ideo ex familia etiam suam expectant sustentationem. (3) *ad ipsam societatem herilem*. Herus enim cum debeat imperare, non poterit laborare, interim tamen iis habet opus, ex quibus se suamque vitam possit sustentare. Servus etiam, qui ad quosvis labores debet esse promptissimus, cibo habet opus. Nulla enim in labore est constantia, ubi semper non est cibi sufficientia.

23. III. *Differentia* exponit *Causam Efficientem*, quod herilis societas sit à natura, unde à Politicis inter naturales societates numeratur. Quod autem herilis societas sit naturalis, probatur (1) à natura totius, quia totum, quod est *Familia*, est naturale. Quale enim est totum, tales etiam sunt partes: Atqui totum est naturale: Ergo etiam partes sunt naturales. *Major* probatur, quia totum imitantur omnes partes, ejusque præ se ferunt naturam. *Minor* probatur ex familiæ seu domus definitione, ubi dicitur, quod sit societas naturalis, consuetudinis quotidiana gratia constituta. (2) à natura relatorum, quia *Domini* seu Imperium est naturale, cui

B 7

relative

relativè opponitur servitus : ut igitur hæc etiam sit naturalis, re-
latorum natura videtur postulare. Relata enim se mutuo ponunt,
sunt simul, & per se mutuo cognoscuntur atq; definiuntur. (3) à na-
tura intentione & operatione, quia natura alios servos facere voluit,
alios Dominus alios ad obsequium paravit, alios ad dominiũ seu
imperium. Ita Jason dixit se obedire non posse, quod ad imperandũ
natus sit, Arist. 3. Polit. c. 3. Et Themistocles suspicionem defectio-
nis ad Persas eodem modo à se removeere voluit, quod ad impe-
randum esset natus. E contra in multis ratio ita est diminuta, ut
ubi domini cura melius, quam in libertate, vivere possint. (4) Ex
societatis hujus fine, qui est conservatio. Conservatio autem ut est à
natura, & secundum naturam, ita pariter est naturalis. Omne e-
nim Ens à natura sui appetit conservationem. Et cum res Politi-
cæ sæpius ex suo æstimentur fine, facile apparet, quod media ad fi-
nem sint dirigenda. Sicut denique alias media legitima semper
debent esse ejusdem naturæ cum fine, eidemque proportionata,
ita etiam dicimus ex fine hoc naturali, herilem societatem, ut me-
dium legitimum, itidem esse naturalem.

24. IV. Denique in differentia etiam forma non tam expressis
verbis allegatur, quam implicitè insinuatur: Dicitur enim quod
hæc societas sit *Facta* nim. per *consociationem*; cum societas herilis
sit partim à *consociatione*, quia per actum conjunctionis produci-
tur; partim consistat *in consociatione*, quia statum sociale sorti-
tur, dum nec servus sine Domino, nec Dominus sine servo hanc so-
cietatem constituit, sed & Dominus & servus; si nim. non tantum
sint conjuncti, sed etiam conjunctim maneant, & diligenter sua
officia expediant; partim *propter consociationem*, ut nim. sint duæ
personæ non solitariae, sed sociatae, & cum aliis conjunctæ consti-
tuant mox familiam, deinde pagum, denique integram absolvant
civitatem. Hæc de *societate Herili*.

25. Jam ad *Paternam* nos converrimus societatem, de qua ite-
rum duo notamus (1) *appellationem* (2) *Definitionem*. *Appellatio* est
quoad *vocem* complexa, quia duobus exprimitur vocabulis; quoad
rem verò incomplexa, quia unam tantum rem denotat: Dicitur
autem *Societas Paterna*, quia unum commodum vocabulum non
repe-

reperitur, quod hunc conceptum plenè & planè exprimere possit, adeoque à potiori, nim. à *Patre*, hæc fit denominatio. Licet enim interdum plures liberi in una sint familia, unus verò semper sit parens, tamen non tam à filiis, quam à *Patre* hæc societas nuncupatur, quia Pater omnium liberorum dicitur esse autor & caput. Sumitur verò vel *generaliter*, pro omni paterno dominio: vel *specialiter*, pro societate inter patrem & filium. Dicitur alias *Dominium parentum in filios*; item *amicitia regia* 8. *Eth.* 11. 1. *Polit.* 8. *amicitia inæqualis* 1. *Polit.* c. 7. quia diversa sunt parentum & liberorum officia. *Platoni* vocatur *δισπλασία ἀρχῆ* *Epist.* 7. *Manlio* apud *Livium* *Majestas patria* lib. 8.

26. *Definitionem* his verbis proponimus: *Societas Paterna est societas inter Filium ob adjumentum & utilitatem à natura facta.* In hac definitione notetur tum *Genus*, quod est *societas*. Hoc probatur tum *ex ratione*, tum *ex experientia*. *Ratio* est, quia hæc est communis essentia omnium societatum tam simplicium, quam compositarum: Ergo etiam est *genus*. *Experientia* itidem hoc ipsum declarat, quod hæc Paterna societas in humanissimâ conjunctione. Vnde plerique *Politici* si non explicitè hoc genus allegant, tamen tacitè illud insinuant.

27. Tum *Differentia*, quæ variis constat membris (1) *Materia*. Hinc dicitur, quod sit societas *inter patrem & filium*. Ut autem plene hanc materiam percipiamus, sigillatim ea sunt consideranda quæ materiam dicuntur absolvere, Duo igitur hic breviter proponit 9. (1) *quid de parentibus sit observandum?* (2) *Quid de filiis sit notandum.*

28. *Patris* (1) *vocem* quod attinet, non h. l. sumitur pro una saltem conjugii parte, *Marito* sc: quasi hic saltem liberos debeat curare, eos conservare & educare, aut quasi huic saltem filii obedientiam & reverentiam præstare teneantur, sed pro utroq; parente. Nam Mater quoque ad hanc requiritur societatem, teste *Arist.* 8. *Eth.* 7. 1. 1. *Polit.* c. 9. (1) *quia* si generationem respiciamus, solus Pater absq; Matre liberos procreare non valet, sed utriusque conjunctio hic est necessaria. (2) *quia* major est dilectio matrum erga liberos, quos multis molestiis atque doloribus in utero gestarunt, & non sine insigni labore in hanc lucem posuerunt. (3) *quia* effectus respicit causam, & ad eam referri debet: causa autem filiorum non solus est pater, sed præter patrem & Mater est ipsorum causa. (4) *quia* Mater etiam

ut

ut Dominus, imperii domestici est particeps, & Mariti non tantum in laboribus, sed etiam in honoribus individua comes, (5) quia Mater etiam tenerur curare, conservare & educare suos liberos.

29. (2) *Rem quod concernit, officia parentum potissimum notamus.* Hæc autem consistunt (1) *in legitima generatione.* Legitime igitur ut parentes suos generent liberos, necessum est, ut & ipsi sint ex legitimo thoro nati, & deinde in legitimo vivant conjugio, & deniq; ut legitimo etiam modo sese gerant in conjugio. Nam qui ex matre & patre aliquam trahunt infamiam, illi facilè etiam ad similia vitia à virtutis abducuntur tramite, quia, secundum Græcorum Proverbium, κακῶ κόρακ & κακὸν ὄον: & secundum illud Latinorum: *Non procul à stirpe roma cadunt.* Deinde cum extra conjugium nati, ut spuriam habent generationem, ita spurii retineant appellationem, utique in legitimo decet vivere conjugio. Et deniq; in aliis etiam suis actionibus parentes virtutis & honestatis debent esse studiosi, quia non tantum ex illegitimo concubitu, sed etiam ex aliis sceleribus infamix maculam possunt contrahere. Tales si fuerint, nim. infames, ex illis nati videntur communem experiri cum parentibus fortunã, Vnde his omnibus *Plutarchus* in aureo suo libello *de puerorum educatione* statim in principio proluxe posuit præcepta; τοῖς γὰρ, inquit, μητρόθεν ἢ πατρόθεν ἔκ εὐ γεγονόσιν, ἀνεξάλειπτα ᾧ διακολαθεῖ πα τῆς δυσγενείας ὀνειδῆ ᾧ δὲ πάντα τὸν βίον, καὶ προχειρα τοῖς ἀλέγχειν καὶ λοιδορεῖσθαι βυλομένοις. Καὶ σοφὸς ἦν ἄρα ὁ ποιητῆς, ὅς φησιν.

Ὅταν δὲ κρηπίς μὴ καταβληθῆ γένος

Ὄρθως, ἀνάγκη δυσυχεν τῆς ἐκγόνος. Et paulo post:

Δυλοῖ γὰρ ἄνδρα, καὶν θρασύσπλαγχνός τις ἦ,

Ὅταν συνειδῆ πατρός ἢ μητρός κακία. &c.

30. (2) *In naturali dilectione.* Est n. sorghè illa ab ipsâ naturâ parentibus ingenita, ut non possint non impensè suos amare liberos, quia quilibet naturaliter amat ea, quæ ab ipso habent originẽ, & ab ipsius essentiâ sunt producta. Et cum non exigua pars substantiæ parentum transeat in liberos, summa hic inter parentes & liberos est συμπάθεια ita quidem, ut tantus amor sit in parentibus er-

ga

ga filios, quo vix datur major in tota rerum universitate. Et tam arctè quidem hic amor à natura est ingenitus, ut non tantum in creaturis rationalibus inveniatur, sed etiam per bruta animantia sese diffundat tantoperè, ut adulti pro pullis suis vitam effundere non dubitent. Unum hic saltem, idq; tritum de gallina a-ve domestica allegamus exemplum, quod his verbis *Dn. D. Christ. Matth. l. 1. Pol. Ex. 2. sect. 1.* illustrat: Gallina $\sigma\omicron\gamma\eta\nu$ naturalem erga pullos suos exercet ante, in & post generationem. *Antè*; Gallina enim ova parturiens (è quibus pulli postmodum generantur) plumas laxat, easq; de pectore suo deponit, & ita denudatur usque ad ipsissimam carnem, ut internum calorem in ova melius transfundere possit. *In*; cum enim incubat ovis, & jam excludit pullos, tantum concipit affectum amoris & benevolentiae mirabilis plenum, ut idcirco etiam raucescat, vocemq; suam mutet; & cum antea suavius cicuriret, jam lamentabiliter glocitet. *Post*; Gallina enim, pro pullis suis jam exclusis, plus est sollicita, quam pro seipsa. Quia cum reperit granum, illud tenet, pullisq; porrigit: & nisi adsint, convocat; pullos, quocunque eunt, sequitur; vocem eorum assumit, atque ad mores eorum imitabiles sese accommodare novit. Hæc ille, ubi & *Urse* & *Delphini* exempla lege.

31. (3) *In naturali defensione.* Unumquodque enim inde sui accepit defensionem, unde accepit originem. Natura siquidem neque homines, neque alia animalia statim in tanta producit perfectione, ut justum ipsis tribuat staturam, justum robur atque justam firmitatem omnium membrorum, quo se possint ab omnibus externis incommodis atque hostibus defendere, adeoque prudenter primæ infirmitati consulere voluit per parentes, ut suos virtute $\sigma\omicron\gamma\eta\varsigma$ naturalis, atque ejus instinctu defenderent foetus, ne primis statim à nativitate diebus amitterent vitã, vel aliis objicerentur periculis. *Gallina* itidem nobis de hac naturali defensione paratissimum suggerit testimonium. Illa enim pro virili primum defendit ova, quibus incubat; post pullorum exclusorum defensionem tanta prudentia & constantia suscipit, utp rimo contra hostem stet loco, ut milvo præsentem statim omnibus

C

mnibus

inibus pullis det signum de fuga capienda, ut etiam constanter pro omnibus pullis tamdiu agat excubias, quamdiu adhuc ullum imminet periculum.

32. (3.) *In necessariâ sustentatione.* Quodlibet n. Ens inde expectat suum conservari, unde accepit suum esse, præprimis si à natura nondum hanc habeat capacitatem, ut sibiipsum de victu aliisque ad conservationem necessariis mediis possit prospicere. Hinc *Aristot. 1. Polit. c. ult.* inquit: *Unde est initium rei, inde naturaliter & ejus est incrementum.* Et nisi hoc ipsum præstaret natura, omnino imprudenter ageret, quia foetus suos ostenderet, postea verò projiceret, id quod esset contra naturæ officium, quæ prudentissimè omnia instituit, omnia etiam prudentissime hætenus conservavit. Hinc rectè monet *Tholos. 14. c. 1. n. 4. p. 622.* quod *sola multitudine contrahentium non multiplicetur genus humanum, nisi educationis cura, conservandiq; facultas accedat.* Deinde qui sibi præstinat finem, omnia etiam, quæ ad finem faciunt, media præstinat, ut habet *Arist. 2. Phys. 69.* At conjuges nim. Maritus & Uxor sibi præstinant finem societatis conjugalis, nim. *Sobolem*; non igitur possunt mediorum negligere curam. Medium autem non est sola generatio, sed etiam generati sustentatio. Nā sine sustentatione proles vivere nequit, & quod natum, nisi continuâ nutritione conservetur, denasci properat, quia infantes, non ut pisces, hinc inde natantes, sibi victum quærere & parare possunt. Unde illi, qui Infantibus hoc sustentationis non præstant debitum, à *Paulo Jcto* homicidæ nuncupantur *l. necare agnosc. lib. Necare*, inquit, *videtur non tantum is, qui partum profocat, sed & qui alimonia denegat.*

33. (4.) *In honesta informatione.* Non enim corporis tantum habenda est cura, ut suum perpetuò habeat alimentum, sed etiam animus potissimum est excolendus, ut sit virtutis domicilium. Ut aliàs potior potioris objecti semper suscipienda cultura, ita majorem excolendi animi, quia hic potissima hominis pars est, adhibeamus diligentiam. Et cum à teneris advescere multum sit, secundum illud vulgatum, in prima statim infantia hæc informatio suum debet habere initium. Si enim semel vitia admiserimus ad tenerrimæ ætatis ingenium, non facilè ista emendare
postea

postea poterimus; prudenter siquidem monet *Horatius*:

*Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu.*

Hujus autem informationis per omnem juvenilem ætatem tanta est necessitas, ut nec Republicæ, nec familiæ possint sine eâ esse integræ. *Republica* enim sine informatione nõ habebit prudentes atque fideles Magistratus, neque possidebit tranquillos & virtuosos subditos. Ubi autem omnes partes sunt vitiosæ, ibi totum etiam non potest non esse vitiosum. *Republica* igitur est vitiosa, ubi Magistratus sunt vitiosi, vitiosi etiam sunt subditi. Hinc *Cic. l. 3. de divinat.* hanc informationem nobis his verbis commendat: *Nullum munus Reipubl. adferre majus, meliusve possumus, quæ si doceamus erudiamusq; juventutem.* Et *Mecænas* admonens *Octavianum Augustum* de *Republ.* instituenda inter alia dicit: *Te hortor instituas, ut patritii, equestrisq; ordinis homines, dum adhuc pueritiam agunt, ludos literarios frequentent.* Familiæ deinde nunquam florere poterunt sine informationis cynosurâ. Ex informatione siquidem habemus bonos patresfamilias, virtuosas Matresfamilias, filii etiam & filiæ in omni virtutis studio ex informatione sunt felices. Hinc aureum est *Epiçteti* consilium, quod omnibus parentibus debet esse notissimum: *Τῆς υἱῆς σὺ σπαρδαζῆς, πεπαιδευμένῃς μᾶλλον, ἢ πλεσίῃς καταλιπεῖν. κρείττερος γὰρ εἰσὶν αἱ τῶν πεπαιδευμένων ἐλπίδες, ἢ ὁ τῶν ἀμαθῶν πλεῖστον.*
i.e. *Cura ut filios tuos eruditos magis quam opulentos relinquant: præstant enim eruditorum expectationes, quam indoctorum divitia.*

34. [5] *In disciplina domestica usurpatione.* Hæc autem disciplina domestica potissimum ex Patria elucescit potestate, de cujus constitutione, administratione & dissolutione, ut & aliis vel adjunctis vel effectis plurima possemus afferre, nisi ad finem properaret nostra disputatio.

35. [6] *In honesta elocatione.* Nam de Matrimonio liberorum honesto parentes debent esse solliciti, quia felicitas li-

berorum etiam ex Matrimonio dependet; quia uxor in maritum transit familiam, & si filius ducat uxorem inhonestam, familia quoad aliquam sui partem maculatur; si verò filia marito jungatur inhonesto, maximam vitæ suæ partem in inhonesto statu consumere cogitur; quia per familiæ propagationem sui memoriã reddunt perpetuam; quia hac ratione oeconomicam iis curam injungunt, & de honestis vitam sustentandi mediis ipsis prospiciunt.

36. (7) *In dotatione.* Hæc quidem non penitus est necessaria, præsertim si parentes ipsi vix habeant, unde vitam sustentare queant: Interim tamen hi melius suis prospiciunt liberis, qui non tantum reliqua observant officia, sed etiam à se genitis ea suppeditant media, quibus familiam suam inchoare, & necessaria ad domesticam vitam instrumenta comparare possint.

37. Hæc, de Parentibus dicta, proxime nos ad *Liberorum* deducunt theoriam. *Filii* autem nomine in definitione posito omnes eos intelligimus, qui ex parentum substantia & sanguine sunt geniti, sive masculini, sive foeminini sint sexus. Omnes enim à parentibus hæctenus enumerata officia expectant, & propterea etiam summo obligationis jure omnes obstricti sunt parentibus.

38. *Filiorum* autem officia consistunt (1) *in amore.* Mutuus enim inter parentes & liberos debet esse amor. Hinc, secundum quosdam, *Filii* vox græcæ est originis, diciturque ἀπὸ τῆς Φιλίας, quia inter parentes & liberos debet esse aretissima amicitia, vinculo nim. naturali colligata; & quia amor filiorum erga parentes debet esse maximus, à quibus & esse, & bene esse acceperunt. (1) *In honore.* Nam parentes filiis sunt loco Dei, ut testatur *Arist. 8. Eth. c. 14. & l. 9. c. 1.* & antiquissimi quique mortalium ita, teste *simpli- cio ad 8. omnia officia:* in *Enchirid. Epicteti*, venerabantur parentes, ut Deos eos appellare non dubitarint. Deos autem esse honorandos, communiter omnes gentes ex ipsius naturæ instinctu docuerunt. (2) *In timore.* Honor enim iste non debet esse coactus, sed spontaneus, & quidem ex verâ reverentiâ ortus, quæ reverentia cū quodam timore est conjuncta, Honor nunquam potest esse sine reverentia, & ubi reverentia, ibi etiam est quædam submissio, quæ

timo-

timorem inferioris erga superiorē excitat. Et præterea cum liberis non ignorent patriam in se potestatem, propterea timorem erga eos concipiunt: Timor autem hic non est servilis & externus, sed filialis & internus, quia in ipsa natura est fundatus, quia ex vera animi dilectione est ortus. (4) *In obsecutione.* Hanc enim natura ipsa ostendere videtur, quando inferiores cum superioribus conjungit, quod inferius superiori ex sua naturali conditione obedire tenetur. Et cum in paterna societate sit *regia* quaedam *amicitia* 8. *Eth.* 7. requiritur etiam obedientia. (5) *In gratitudine* seu *Antipelargia.* Hanc à liberis deberi parentibus etiam gentiles agnoverunt, & ex ipsa natura didicerunt. Nam *Solon* infames eos pronuntiavit liberos, qui parentibus egentibus opem non tulissent: illis tamen exceptis, qui artem parentum consilio non didicissent, ut testatur *Laert. in Solon.*

36. II. *Finem.* Hic duobus ponitur verbis (1) quod sit *ob adjumentum*, partim *respectu Reipubl.* quia Rempublicam possunt adjuvare suis viribus filii in juvenili ætate, eamque conservare in sua integritate: partim *respectu familiae*, quam itidem multis modis adjuvare possunt: partim *respectu parentum*, quos in summa senectute suo adjumento fovere & conservare debent. (2) quod sit *ob utilitatem*, tum publicam, tum privatam, quod prolixè posset explicari, si locus tractationi superesset.

40. III. *Ab Efficiente*, quia hæc societas est à natura, tum *ratione originis*, tum *ratione conditionis*, tum *ratione conservationis*, tum *ratione finis* &c.

41. IV. *A forma*, quod *facta* sit *nim. societas*, adeoque per conjunctionem suam habet esse. Quia duplicis generis hæc in societate conjunguntur personæ, *nim. Parentes & Liberi*, ideo merito formalis ratio in societatione consistere dicitur. Hucusque *de simplicibus Societatibus.*

F I N I S.

C)

Ad

Ad Dn. Respondentem, Li-
vonum, publicè
disputantem.

Pignora Leucoridi celebris Livonia mittit,
Artibus innumeris erudienda suis.
Excipit hac animo mater clarissima prompto,
Et fovet in gremio tempus in omne suo.
Præmia distribuit multis, & prompta remittit,
Ut doceant socios religionis opus.
Hæc eadem, Mullere, tibi sua basia libat,
Exhibet & plenâ munera mille manû.
Hæc tua commeruit pietas moresque modesti,
Atque amor in Musas Pieridasque novem.
Indè memor vivas, patrias rediturus ad ades,
Exemploque tuo mille movere velis.
Sic ego vos canto Germano sanguine natos,
Teutonicoque pare spectore dico mibi.

Michael Wendelerus
D. & P.P.

Mullerus nitidæ decus Minervæ,
Musarum Charitumque Chara Proles,
Et claræ Sophiæ corusca Stella,
Magnus noster Amicus atque Fautor,
Totus militiam laboriosam
Palladis sequitur canore laudis.
Nuper Victor erat decorus armis
Doctrinæ; generositate Causam &

Cau-

Causatum laqueis, nodis, cavillis,
De Sophis matibusque liberabat.
Jam statim repetit novo palastram
Conatu, socialitatem hærilem &
Paternam sapienter, erudito
Sat fundamine tractat in Cathedra.
Hem, sic est: Dabitur Corona pulcra
Certanti: Titulus novus Magistri
Illi mox dabitur pererudito.
Quando fructibus his suis potitur
Pennam pluribus entheis rigabit.
Aquis, Syderibusque nomen ejus
Inscribet rutilis canora Mnemes.
Sic ii gurgite ludis erudito
Immortatis erit pereruditus
Mullerus nitidæ Decus Minervæ,
Musarum Charitumque Chara Proles,
Et cl. & Sophies corusca stella,
Magnus noster Amicus atque Fautor.

*Inter occupationes verè deproporabat
gratulabunda Thalia*

Joachimi Dobleri Perlemontani Marchiaci.

Ad

Per-Eximium & Doctissimum

**EBERHARDUM MUL
LERUM**

Philosophiæ Candidatum dignissimum, Amicum
suum & Commensalem per dilectum

MULLERE, præstans ingenii Bonis,
*Dicenda felix jure Revalia est,
Quod viderit Te prodeuntem
Luminis ætherias sub auras.*

NAM

*Nam Magna de Te florida Patria
Quae sperat, altis prodere jam paras
Conatibus, gressu citato
Dum Sacra Templa petis, Sophorum
Quæis Fama prostat. Lencoris incluta
Mirata nuper Judicii valens
Robur, quod aptè differendo
Omnibus è Cathæara probasti:
Nunc denuò Te sistis, & ingeni
Vires superbis non sine laudibus
Monstrans, mereris, quò politum
Laurea Sertæ Caput coronent.*

Ita deproperab.

*Godofredus . Crinesius ,
Breslâ-Silesius*

Quanquam tumescens uva : minus tamen
Fundit liquorem sponte, nisi terat
Sudante pressuram labore
Vinitor in dolio Falerno,
Sic mentis ardor, qui licet entheus,
Haud ima gestit: Sed celebrantium
Rerum sagaci motione
Philosophi Jovis ampliandus.
Et Jure vires colligis ingeni
Mullere, collectas vigilantia
Sudoris illustras, haberi ut
Possis honor patriæ futurus.

Quod vover

*Johannes Zeidlerus, SS.
Theol Studios.*

Coll. diss. H. 26, misc. 6